



Sanctus Simpertus filius Amperti ducis Lo-
tharingiæ, & Caroli Magni ex sorore Sym-
phoriana nepos fuit. Itaque à parentibus meliori-
bus literis institutus, atque in Murbacensem scho-
lam collocatus fuit, ut ibidem Christianæ doctri-
næ rudimenta perdisceret, atque sacris literis ope-
ram daret. In eo etiam Monasterio ita breui tem-
pore profecit, ut reliquos æquales suos ibidem lō-
gè superaret, atque Abbas fieret. Itaque factum
cum Tocco Augustanus præsul moreretur, ut to-
tius cleri consensu S. Simpertus, Anno Christi o-
ctingentesimo, Episcopus Augustanus electus
fuerit. Hanc functionem magna prudentia ad-
ministravit, atque quenque sacerdotum diligenter officiū sui admonuit. In ui-
gilijs S. Michaelis primus Ecclesiam cathedralē D. Virginis uerbo Dei
dedicauit, & multis opibus & priuilegijs exornauit, hinc factum ut Augusta-
ni ciues postea singulis annis eo tempore suas nundinas peregerint. Cum au-
tem S. Simpertus per triginta annos magna dexteritate Ecclesiam Augusta-
nam moderatus esset, uiam uniuersæ carnis ingressus est, eo tempore
cum Ludouicus pius eius patruelis Imperium Occiden-
tale administraret. Monst,